



V Vilhelmus ex illustri familia Comitum Fürstenbergicorum natus est. Is à pueris operam uirtutibus dedit, & armorum studia plurimum dilexit. Itaque cum adoleuisset Cæsaris castra secutus, magnam rei militaris peritiam nactus fuit. Unde postea anno millesimo quingentesimo uigesimo quinto in bello rusticano sub Trucksefsio primario duce per Sueuiam pedites duxit, atq; uarijs locis rusticos profligauit. Deinde in bellis Gallicis sese regi Francisco coniunxit, & peditum præfectus declaratus, suam fortitudinem & industriam anno millesimo quingentesimo tricesimo sexto circa Auenionem in Prouincia declarauit, ita ut tandem

Cæsar multis suorum amissis ex ea regione cedere, & Genuam redire cogere tur. Cum autem postea Paulus pontifex anno millesimo quingentesimo tricesimo octauo Niceæ cum Cæsare & Gallo conuentum celebraret, ut Monarchas inuicem reconciliaret, reges & principes papæ pedes osculati sunt. Verum Vuilhelmus, cum Protestantium religionis esset, unâ cum Christophero Wuirtenbergico, id facere recusauit, licet eius rei gratia serîo à Commestablio admoneretur. Sequenti tempore à Gallo alienior factus, per Granuellanum sibi uiam ad Cæsarem parauit, & anno Christi 1543 in bruma suis copijs circa Lutzelburgum se Cæsari coniunxit: ubi etiam statim omnium peditum præfectus constitutus fuit.